



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 113. Hæreticorum rabies Ecclesias Catholicorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

ut Hispanus Senatus hanc moderatio-  
nem inspiceret, probaretque, prius-  
quam ea in Provinciis publici juris fie-  
ret. Denique veniam concedi posse,  
ajebat Rex, conjuratis, aliisque, prius  
tamen priores duas condiciones omni-  
no esse adimplendas. Verum hæc re-  
media sero nimis adhibebantur.

## §. CXIII.

*Hæreticorum rabies in Ecclesiis  
Catholicorum.*

Hac lenitate Rex nihil aliud efficie-  
bat, nisi quod aquam affunderet,  
postquam ferme omnia jamjam conti-  
nuato incendio absumpta fuere; quip-  
pe hæreticorum seditio ad tam petu-  
lantem degenerabat rabiem, ut ea,  
quæ ipsimet antea petebant, sibi am-  
plius concedi aspernarentur; cuncta e-  
nim illorum desideria eo abibant, ut  
crudelitatis suæ libidinem satiare pos-  
sent: eapropter seditiosi hi Protestantes  
arma arripiunt, nimirum baculos, secures,  
malleos, scalas, funes, cunctaque alia in-  
strumenta demoliendo, quam pugnan-  
do aptiora, paucique sclopetis, & gla-  
diis muniti erant: porro hoc apparatus  
tanquam emissæ ab orco furis, in pa-  
gos, vicosque circa Audomaropolim ir-  
rumpunt: sacrarum ædium, ac cœno-  
biorum aditus, si quos reperiunt oc-  
clusos

Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

Thuan. l. 37.  
Strad. l. 5.

Sæcul. XVI  
A.C. 1566.

clusos, illico effringunt: aras evertunt, Cælitum signa deturbant, sacras imagines discerpunt, & quidquid Deo, divisque dicatum vident, disjiciunt, proculcant, & comminuunt, atque plurima alia nefanda committunt: nec minori impietate defæviunt Belgioli, eorumque nonnulli Brugis quoque eodem furore debacchari moliebantur: ast a regio urbis Prætore, qui portas occludi jusserat, præpediti sunt: in Gueldria vero, ubi Mega Comes Gubernatorem agebat, primarii Novioma-gensium cives Ludovici cujusdam excucullati, & Calvinii doctrinam amplexi, qui aliquot conciones in oppido prope Judæorum cæmeterium habuerat, audacia erant offensi, hinc ad Joannitarum portam conveniunt, ut de Ludovico illo expellendo consultarent, verum reluctan-tibus plerisque re irrita discessum est: sed nusquam majore rabie, quam Ant-verpiæ bellum contra sacras Imagines concitatum exarsit; cum enim Beatissimæ Virginis ad cælos assumptæ ima-go festiva supplicatione per urbem de-ferretur, procaciores aliquot ex opifi-cum plebe sacram pompam cachinnis, ac sibilis primum illudere, dein impie inverecundi ipsam Dei Matris effigiem ludicris salutationibus, ac obscœnis verborum contumeliis incessere, & ma-  
nus

nus sacrilegas inferre ausi fuissent, nisi <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 criminis atrocitatem ad majorem sæ- <sup>A C. 1566.</sup>  
 vitiam protendi illi, qui supplicationem  
 procurabant, veriti simulacrum non in  
 medio, ut affolet, templo locassent,  
 sed in Ecclesiæ Chorum propere intulif-  
 sent: at postero die rursus sacrilega hæ-  
 reticorum rabies recrudit; quippe plu-  
 res accurrebant ad idem templum, ac  
 ludibundi alii ante Sæcellum Virginis  
 petulanter interrogant, quo illa metâ  
 tam mature se in nidum suum recepif-  
 set: alii vero totum percurrunt tem-  
 plum, arisque, & imaginibus minan-  
 tur, ac quicquid eorum manibus oc-  
 currebat, immani furore confringunt:  
 nec minus ex illis unus suggestu con-  
 scenso, postquam Concionatorum ver-  
 ba, ac gestus modis risu dignis sannio  
 impurus expressisset, postulato utroque  
 sacrarum literarum volumine, Catholi-  
 cos Sacerdotes in certamen provocabat:  
 ast Catholicus quidam nauta indigna-  
 tus hominis insolentiam, e latere sug-  
 gestus irrupit, ac scurram complexus,  
 ut prævalidis erat viribus, humi alli-  
 sit: sed ipse nauta gliscente rixa, in-  
 tentas in se multorum manus declinans,  
 in brachio plumbea pila trajectus est:  
 die autem vigesima prima Augusti au-  
 ctæ horum furentium catervæ Cathed-  
 ralem Ecclesiam occultatis armis ingre-  
 diun-

Sæcul XVI. diuntur, atque expectato vespertina-  
A.C. 1566. rum precum fine, inconditis vocibus  
 una omnes conclamant: *Vivant Gheusii.*

## §. CXIV.

*Cathedralis Antverpiensis Ecclesia ab  
 hæreticis occupata.*

*Strad. &  
 Thuan. l. c.*

**H**ujus Urbis Prætor, qui ad turbam  
 componendam accurrerat cum ali-  
 quot apparitoribus, efficere haud po-  
 tuit, quin hæretici, digrediente po-  
 pulo, ac tumultum declinante, clausis  
 interea valvis victores templum soli ob-  
 tinerent: ergo ubi se loco potitos vi-  
 dent, audita hora diei ultima, adden-  
 tibusque animum tenebris, ab eorum  
 aliquo Maroti psalmus inchoatur ad  
 Genevensium modos, eoque veluti clas-  
 sico una omnes excitantur, atque in  
 Dei Matris effigiem, inque Christi Do-  
 mini, Beatæ Virginis, Sanctorumque  
 imagines emota mente impetum fa-  
 ciunt, ac alias deturbant ad terram,  
 proculcantque, aliis vero gladios in la-  
 tus infigunt, atque aliis securi caput ab-  
 scindunt, tanta in scelere concordia,  
 ut antea inter se operas partiti videren-  
 tur: nam meretriculæ, vulgare ganeo-  
 num, prædonumque consortium, sum-  
 ptis e proximis aris, atque e Sacrario  
 cereis prælucebant operantibus viris:  
 virorum autem alii in aras insipientes  
 sacra